

B. 25.

41.

SOLENNI
ET
MAGNIFICO FVNERE
EFFERTVR
ILLVSTRISSIMVS DOMINVS
DN. IOSEPHVS
CAROLVS

S. R. I. COMES

NOBILIS DOMINVS DE **LIPPIA**
SVPREMVS DOMINVS VIANAE ET AMEYDAE
BVRGGRAVIVS HAEREDITARIVS VLTRAIECTI DOMINVS
IN NORDELOS CLVTINGEN HAFTEN HERWEINEN
HELAV ET NIEFELD RELIQVA
DOMINVS BENIGNVS SAPIENS MVLTISQVE VIRTVTVM
INSIGNIBVS MAGNIFICE REDVN-
DANS

CORPORISQVE TAM ELEGANTIS EXVVIAE

XII. APRIL. A. cllcccxxvi.

IN CATHEDRALI ECCLESIA RITV CHRISTIANO VESPERI
DEPONVTVR

AD QVOD

SOLENNI ATQVE EXTREMVM OFFICIVM
PIE PROSEQVENDVM

PROCERES AC CIVES FRIDERICIANAE

EA QVA PAR EST

OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE

EXCITAT

ACADEMIAE PRORECTOR

IOANNES FRIDEMANN. SCHNEIDERVS D.
SAC. REG. MAIEST. CONSIL. AVLIC. PHILOSOPHIAE PRIMAE
ET RATIONALIS ITEMQVE MORALIVM PROFESSOR ORDINARIVS
IVRIVM EXTRAORDINARIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis CHRISTIANI HENCKELII Acad. Typogr.

MAGNIFICO FVNERE
ILVSTRISSIMO DOMINO
DN. IOSEPHVS.
CAROLVS
NOBILISSIMO VSAE HIPPIA
SVPRIMO DOMINI
BYRGONAVS
IN NORVINGIA
CORPVS
IN CATHEDRA
PROGRESSES
IOANNES FRIDERICVS
CONSUL



The character rendered in Type





Reptum est nostræ Academiæ in-
signe decus, pars DOMVS in
Germania longe eminentissimæ,
IUVVENIS alacer, quem nepo-
tes nostri, quem boni omnes cupient ali-
quando vidisse. Est is illustrissimus DOMI-
NVS IOSEPHVS CAROLVS S. R. I.
COMES, NOBILIS DOMINVS DE LIPPIA, Su-
premus DOMINVS VIANAE & AMEY-
DAE, BVGGRAVIVS HAEREDITARIVS
VLTRAIECTI, DOMINVS in NORDELOS,
CLVTINGEN, HAF TEN, HERWEINEN, HE-
LAV, & NIEFELD, reliqua, quem nec auo-
rum splendor, nec fortunæ munera, nec opes
variæ, nec prima exultantis iuventæ hebdo-
mada molliorque ætas inflexere; sed sapien-
tiæ serenæ spiritus impulit, vt ad virtutis iter
ineundum se componens atavis Heroibus par,
& admirabile gentis suæ exemplum foret ali-
quando. Ad quam laudem consequendam cum
nostram Fridericianam, ceu primam aream, at-
que palæstram elegerit, fas est sane, vt tam excel-
lentis alumni præclara insignia populo mon-
stremus, ac tanti hospitis egregia ornamenta in
breui tabella ante omnium oculos constitua-
mus. PATREM ille diuino nactus est beneficio
Comitem Inclytum itemque illustrissimum
FRIDERICVM ADOLPHVM, Dominum
benignum, Virum in tantum laudandum,
quantum prudentia, constantia, grauitas ipsa-
que animi magnitudo intelligi potest. MA-

A

TER

TER vero, quæ ei secundis nuptiis solenni ductu in manum conuenit, e splendidissima SOLMENSIVM COMITVM gente procedit, de qua tot decora referunt vetusti annales, tot etiam recenti ætate supersunt rediviuæ virtutis vestigia, vt difficile sit, cohibere calamum, ne paullulum copiosius eorum res gestas ac singularia facta depingat. Saltem præteriri non potest, AMALIAM, quæ nostrum a. CIO IOCCIX. IX. Kalendas Septembris in lucem emisit, feminam virilis animi, frontis honore & sapientiæ luminibus cum maxime conspicuam idem nomen gerere eandemque familiam agnoscere, quam habuit FRIDERICI HENRICI, fortissimi Araufionensis Principis, spectatissima CONIVX, prægloriosi Electoris FRIDERICI WILHELMI socrus, FRIDERICI Regis auia, ac potentissimi FRIDERICI WILHELMI, Domini nostri longe indulgentissimi, abauia multis laudum nominibus cultissima. Ex quo coniici potest, quanta nobilitatis luce redundet IOSEPHVS CAROLVS, quamque illustris, vnde ortum hausit, sanguis sit, quem Principes supremi, quem Electores ac Reges participant. At maius tamen videtur, si res ad rationem exigatur, non EVM maiorum suorum tropæis & excelsis factis contentum, aut fumosis imaginibus superbientem stertuisse, sed propria quoque virtute & vigilantia industria ad summa eniti nunquam non laborasse. Nolumus describere

bere primos teneræ ætatis conatus, quidue didicerit a magistris PVER, qui pudor, quæ morum simplicitas, qui candor & recti amor vndique eluxerit; cum iuuenilium annorum venustas fatis suppeditet argumenti, quod suspiciant boni, quod prædicent nobiles, quod approbent studiosi honestiores, quod imitentur æquales. Id memoratu inprimis dignum, tanto eum litterarum amore flagrasse, vt, quamuis duos iam propera morte amisisset fratres, isque MATRIS dulcissimæ residua spes esset vnica, ac domi potuisset inuenire, quibus pasceret animum; ad nostram tamen academiam contento ire studio voluerit: adeo eum alliciebat fama FRIDERICIANÆ, maiorumque profectuum vrgebat desiderium, vt decidi vix possit, magis ne sit demirandum, quod enixe petiit beate DEFUNCTVS, an quod tandem flagitanti indulsit MATER magnanima? Ergo venit, nec parum felix nostra censi ACADEMIA debet, ex omnibus ante habitam vnã, quæ tam carum pignus anno ineunte CIOIOCCXXV. mense Februario in sinum suum reciperet. Nec mora. Sicut enim incitatus ad fortia miles castra, labores, & acies sequitur ac palmas inde referre satagit; ita COMES benignus in bonarum artium disciplinas, omneque liberalium studiorum genus exarsit, cunctis se interea facilem præbens, cunctis amicum, illæsã grauitate, sese exhibens, officiis certando, meritis & animi dotibus contendendo; eoque dignus habitus,

bitus, qui ab omnibus amaretur & coleretur. Cur enim non amarent illustrissimum ADOLESCENTEM exuentem supercilium, feros vultus deponentem, modestaque fronte in sui fauorem & benevolentiam vniuersos & singulos accendentem? Immo vero vix ILLE rectore egebat, qui virtutem secum magistram adferens rationem in omnibus sociam habuit; quique innatos mores desuescere nunquam debebat, seniles sane atque ex pectore honesto cumulate prodeuntes. Vnde facile colligitur, non potuisse eum non in litterarum cultu proficere, qui inania omnia & vanitatis titulos & petulantiae instrumenta quaecunque animo eiecit, in sapientiae praecipua intentus constante voluntate. Et imprimis vero is Doctorem elegit NICOLAVM HIERONYMV M GYNDLINGIV M Ictum, Potentissimi Borussiae REGIS consiliarium intimum, COLLEGAM nobis coniunctissimum, cuius in scholis historiam Teutoniae aliorumque regnorum & Rerumpublicarum leges & artes imperandi didicit, rationis disciplinam excoluit, morum philosophiae operam dedit, ius naturae & gentium audiuit iisque aliis instructus ad ciuilia iura animum conuertit, ab institutionibus, eodem Magistro praeeunte, incipiens, vt sic ad maiora Ictorum negotia praeparatus inoffenso pede in digestis procederet: ac, ne hodierni iuris publici expertus esset, explanationi *instrumenti Pacis Westphalicae* diligenter auscultauit, praesertim cum iam in historicis lectionibus haud pauca percepisset, quae

quæ faciliorem tot ac tantarum rerum cognitionem redderent. Et nemo autem existimet, aliquid a nobis adulationi dari. Vera sunt, quæ scribimus & ad posteritatis memoriam adnotamus: testes locupletes adfunt: viderunt eum commilitones, obseruarunt, mirati sunt, mirati industriam, ardorem, assiduum studium: præsertim vbi animaduertere, nec peregrina idiomata ab eo neglecta, nec corporis decora exercitia posthabita, nec virtutem, nec artes ad austeritatem fuisse redactas. Tantum dolendum, medio in cursu abrupta esse magnæ fortis omina, ac, post hyemis rigorem superatum, cum appropinquare amœnum ver videretur, morbum corripuisse **COMITEM** ad summa natum & ad cuncta docilem, quibus in melius flectuntur humanæ mentes. Martio enim mense, & quidem VII. Idus, dira illa lues ac fatale pueris venenum etiam hunc omnibus numeris excellentem **IVVENEM** inuasit, cumque lecto adfixit, leuiori tamen impetu, quam alias fieri assolet, quando Africanum hoc malum grassari, & adolescentiam ingressos incipit adoriri. Prorumpebant namque pustulæ copiosius, quam primum sperabant Medici expertissimi; ac vacuefactum æstu videbatur cor, humorumque maligna materies abscessisse; nec quenquam subibat timor, periculosus vt sit futurus morbus, in quo tam bene se dedissent initia, arescentibus iam varis, ægrotoque ipsomet bona omnia sperante. Sed obseruauit Galenus, implicatis aliquando morbis laborare homines, in quibus plures affectæ sint partes, quarum incommoda latent, donec cum præsentissimo vitæ discrimine venis, arteriis, neruisque insidens malum sese det foras & vitæ stamina protinus præscindat. Quod ita hoc loco

B

con-

contigit, vt concreto sanguine victricia alioquin
& valida membra obrigescerent atque humanif-
simus COMES, sextum & decimum cum dimi-
dio agens annum, hora VII. matutina, ceu fulmi-
ne ictus, inter fletus & eiulationes suorum, VI. Ka-
lendas Apriles enecaretur. Dubium non est,
CIVES, quin maiorem is dignitatem in cælitum
confortio sit adeptus, quam hisce in terris acce-
pit, inque familiam diuinam traductus in electo-
rum numero viuat excelsus atque magnificus,
feratque humanitatis, liberalitatis, fidei, con-
stantiæ religiosæque pietatis lucidissimum dia-
dema; sed nos tamen, qui eum nouimus, illum-
que virtutum splendorem coram sumus intuiti
quique suauitate morum, ingenii dignitate at-
que incredibili in omnem honestatem ardore
admirabiliter capti sumus, magno dolore cir-
cumfusi sublatum ex oculis lugemus funerique
intenti cum lacrymis confictamur ac lamentis.
Igitur animum aduertite CIVES FRIDERICIANÆ!
Solennes vesperi exequiæ agentur. Adeste COMI-
TES illustrissimi cum COLLEGIS venerandis: adsit
quoque STUDIO SORVM nobilis corona, sed pa-
catis animis, sed moribus modestiam spirantibus,
qui decent liberalis ingenii homines & Musis
mansuetioribus studia sua dedicantes; ne, quod
ad gloriam COMITIS & ordinem seruandum sa-
pienter directum & dispositum est, in plebeiam
confusionem degeneret. Adeste igitur hoc pa-
cto ac sempiternis IOSEPHVM CAROLVM
laudum ornamentis prosequi nunquam desisti-
te. Meretur hoc Illustrissimus ADOLESCENS, me-
retur LIPPIACVS sanguis, merentur studia & animi
magnitudo, meretur virtus, quæ non rugis sem-
per infidet ac fronti senili, aut annos computat,
sed in pectore IUVENVM tranquillo sæpe sedem
domiciliumque suum lætissima collocat. P. P.
Halæ Magdeburgicæ pridie Idus Apriles

CIO IOCC XXVI.

Gb 1633.

4^o


ULB Halle 3
001 611 763



20

n. c.





SOLENNI
 ET
 MAGNIFICO FVNERE
 EFFERTVR
 ILLVSTRISSIMVS DOMINVS
DN. IOSEPHVS
CAROLVS

S. R. I. COMES

NOBILIS DOMINVS DE **LIPPIA**
 SVPREMVS DOMINVS VIANAE ET AMEYDAE
 BVRGGRAVIVS HAEREDITARIIVS VLTRAIECTI DOMINVS
 IN NORDELOS CLVTINGEN HAFTEN HERWEINEN
 HELAV ET NIEFELD RELIQVA
DOMINVS BENIGNVS SAPIENS MVLTISQVE VIRTVTVM
INSIGNIBVS MAGNIFICE REDVN-
 DANS

CORPORISQVE TAM ELEGANTIS EXVVIAE

XII. APRIL. A. clolcccxxvi.

IN CATHEDRALI ECCLESIA RITV CHRISTIANO VESPERI
 DEPONVNTVR

AD QVOD

SOLENNE ATQVE EXTREMVM OFFICIVM
 PIE PROSEQVENDVM


PROCERES AC CIVES FRIDERICIANAE

EA QVA PAR EST

OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE
 EXCITAT

ACADEMIAE PRORECTOR

IOANNES FRIDEMANN. SCHNEIDERVS D.
 SAC. REG. MAIEST. CONSIL. AVLIC. PHILOSOPHIAE PRIMAE
 ET RATIONALIS ITEMQVE MORALIVM PROFESSOR ORDINARIIVS
 IVRIVM EXTRAORDINARIIVS.



Farbkarte #13

B.I.G.

